



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Aperta vis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A **U**niversali oppressorum exitio agri sint everriculati. Fiebat autem everriculatio in hunc modum. Viri manus sibi mutuo tenentes, quasi restim unam texunt, occupatisque terræ, quam desolatam vident, extremis finibus, ita late extensi progrediuntur, latentesque passim incolas venando excipiunt, nihilque reliqui faciunt, quoque versus peragrantes. Quod olim exemplum à Darianis militibus editum in Chio, Lesbo, Tenedoque infulis vi captis, atque everriculatis. Eretrienles quoque legas à militibus Xerxis eadem everriculatione omnes abductos.

Everriculatio.

DE HAMO. CAP. XXX.

Habet Hamus cum Anchora similitudinem quamdam, si figuram inspectes. Sed quantum est in Anchora officii, tantum in hamo malignitatis atque perfidiæ: quæ cujusmodi sit, hinc apparebit.

Hinc infamia pro decipere. Terentius in Adelphis.

DECEPTIO. CAP. XXXI.

Sunt qui non imperite, neque improprie, deceptionem per hamum pictum significari tradant: siquidem decipere, est unum ostentare, & aliud præter opinionem inferre. Ita hamus escam esurienti offerre porrigereque videtur, saturitatemque polliceri, mox apprehendit, alligatque, & captivum facit eum, qui escam illam appetierit. Hoc habemus apud Horatium de cœnipeta:

Epistolarum Lib. 1. ep. 7.

— *Hic ubi sepe*

Occlusum visus decurrere piscis ad hamum.

Et hunc secutus Lucianus eo opusculo, quod in Romanam invidiam de Aulicorum vita conscripsit, in hac plurimum similitudine immoratur, dum spes illas clientium, qui admissi ad Principum amicitias montes statim aureos sibi pollicentur, hami istiusmodi vorationi similes esse contendit. Et de Ienone in fraudem prolabente, *Meus est, hamum vomit*, apud Plautum. Longe vero aliter in Divinis literis hamum accipi videas, per quem sanctissimum Christi corpus significatur, de quo apud Ezechielem Theologi dictum ajunt: *Et extraham te in hamo meo, & extendam te super terram, campos implebis, & à volucribus omnibus impeteris, perindeque omnes terra bestias tuo pastu saturabo.* Sicuti enim si hamum esca coopertum piscis rapiat, non solum escam ab hamo non sustollit, sed ipse de profundo esca aliis futurus educitur: ita mundi Princeps, penes quem erat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Adamiaci JESU, cum sub eo hamum divinitatis inclusum minime sentiret, quo devorato hæsit ipse continuo, de quo profundo tractus, eductus est, ut esca fieret iis, quibus calcandi super Serpentes & Scorpiones potestas à Deo data fuerat. Idem apud Jobum 40. capite reperias: *Aut adduces Draconem in hamo, aut capistrum circa naves ejus appones.*

In Bacch.

Christi corpus per hamum. Ezech. 39.

DE TRIDENTE. CAP. XXXII.

ET Tridentis inter piscationis arma connumeratur, sed cum hamo parum congruit.

APERTA VIS. CAP. XXXIII.

Hamus enim per fallaciam quicquid acquirit aucupatur, sed tridens aperto Marte, medio veluti campo advenientem hostem accipiens, eum aggreditur, solaque fretus agilitate, conficit. Sed quid is in Neptuni manu, quid in Træzeniorum numis, & in Mantineensium scutis sibi vellet, alio Commentario docuimus. Hæc vero plus quam satis esse, quæ ad occupatissimum virum, & otii nefcium mitterentur, existimavi, Vale.

JOAN.